1362. 21. Decembris

In nomine domini Anno a natiuitate eiusdem millesimo trecentesimo sexagesimo secundo. Indictione prima. die mercurii uigesimo primo mensis decembris. Confessa et venerabilis domina soror Johanna de Inuericho priora et sindica et procuratoris et sindicario et procuratorio nomine dominarum humiliatarum sancti petri intus vineam seu in terra sancta mediolani. ad hec et alia constituta ut constat publico instrumento illius procuratorii rogato et tradito per Ambrosolum Sacarium mediolani notarium anno curso millesimo trecentesimo sexagesimo primo de mense septembris prime per se suo et dicto nomine fuit et est confessa recepisse et habuisse. Aluysio maderno filio condam domini paganardi porte ticinensis parochie sancti Ambrosii in sollavrolo mediolani dante et soluente nomine et vice et ad partem et utilitatem Cateline de balbis filie condam et heredis domini Ambrosii balbi solidos trigintanouem denarios quinque terciolorum in denariis numeratis et libram unam piperis. Et hoc pro plena solutione et integra satisfactione ficti libellarii unius anni finiti in festo sancti martini proxime preterito unius sediminis iacentis extra portam cumanam in parochia sancti simpliziani mediolani. Cui coheret a mane Johannoli de corrago et in parte illorum de fichseriis / a meridie dictarum dominarum sancti petri intus vineam / a sero strata / a monte heredum condam Steffani de ecclesia / quod sedimen dictus condam dominus Ambrosius tenuit ad libellum et nunc heredes eius tenent ad libellum a dictis dominabus priora sororibus et capitulo dicte domus. ad fictum libellarium omni anno faciendum dictis dominabus et capitulo dicte domus solidorum triginta nouem et denariorum quinque in denariis numeratis et libram unam piperis ut dixit dictus Aluysius ac de dicto ficto reddendo pro eisdem heredes promisit et conuenit sub obligatione sui et omnium suorum bonorum suo et dictis nominibus renuntiando exceptionem non receptorum denariorum et piperis et non facte huius confessionis ut supra et omni probationi et deffensioni in contrarium. Promitens dicta domina priora suo et dictis nominibus renuntians obligando se et omnia sua bona pignori et bona conuentus et capituli dicte domus dicto Aluysio dicto nomine recipienti quod omni tempore erit stabit et permanebit tacita et contenta in hac confessione et in omnibus predictis et quod curabit et faciet cum effectu quod dicte sorores et capitulum dicte domus et quelibet alia persona ... in predictis omni tempore stabunt et permanebunt tacite et contente et tacita et contenta Et hec omnia omnibus suis propriis expensis dampnis et interesse et sine dispendiis dampnis et interesse dicti Aluysii dicto nomine recipientis Et quod reddet et restituet eidem Aluysio omnes expensas dampna et interesse que et quas faceret uel pateretur pro predictis. Actum in domo habitationis dictarum dominarum sita in porta ticinensi mediolani foris in parochia sancti Laurentii parentibus. Ambrosolo de monte filio Johannis porte ticinensis parochie sancti Laurentii maioris foris notario et pronotario. Et ... gollo canziano filio condam domini guilli porte Vercelline parochie sancte marie ad portam noto. et Johannolo filio Alberti de castronouo porte ticinensis parochie sancti Laurentii maioris et petro de Legmano filio condam guilli parochie dictarum porte et parochie ... omnibus mediolani vocatis Testibus et rogatis :—

Ego Franceschollus filius domini Iacobi de Cusano porte cumane parochie sancti Thome in terra amara publicus imperiali auctoritate Notarius Ciuitatis mediolani rogatus tradidi et scripsi :—

Ego Ottorinus dominanus filius condam domini hectoroli notarius ciuitatis mediolani porte Vercelline parochie sancti protasii in campo intus iussu suprascripti notarii scripsi.

Morbio 20 (80)
Universitäts- u. Landesbibliothek Halle/S.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1822540240-17/fragment/page=1
DFG

~~1100~~
1300

Marbio 20 (80)

1362 a. D[illegible]

de Lusano

Confessiones [illegible] factas de domus [illegible]
in qua sunt [illegible] comassina et
non sunt ille confessiones de illis
quos tenet [illegible] domus [illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1822540240-17/fragment/page=2